



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Modestia Canisij & cura ædificationis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

cem Domini Discipulos suos vniuersitati Gentium commendantis. Qui vos recipit, me recipit meminerat Euangelizantium pacem tantoper laudata vestigia, mercedemq; optabat Prophetæ in nomine Prophetæ coniunctissimum sibi amicum recipiendo. Et Canisius, quoad verecundia non obstinata, sed modesta tulit, acriter reluctatus, tandem instar cognominis sui Apostolorum principis, ne opus Domini impediret, cessit: & vertitus deinde eam rem euulgare, ille quidem, ne se commendare videretur, obticuit: sed nimis quantumuis premas, illustris fulgor virtutis tandem erumpit. Alij è domesticis conscijs euulguntur. Aderat tempore eodem Dilingæ ex via Tridentinus Cardinalis, qui ad Collegium excitandum Tridenti cupiebat secum Canisium ire. Verò Bauarus iam non Monachij solum, sed *Modestia ea.* Landeshutæ primo quoq; tempore volebat *Canisij & cura edificationis.* legia inchoari; vt laborandum esset Canisio, quies festinationem, ardoremq; Principum temperaret, illud in primis cauenti, quoniam Monasteri vetusta in noua hæc opera destinabantur, utique nequaquam attentaretur, nisi & autoritas antissimi Pontificis, & assensus veterum possessorum

rum exquireretur, & Societatis ad vulgus recta opinio salua esset.

Inito Februario ad Regem Ferdinandum peruvolauit, quem ferebat fama religionis rem in Austria pro perdita, ac deplorata reliquisse. Cardinalis Augustanus, Princeps Bauarus, boni omnes, ac prudentes viri censem̄at Collegium Viennę haud extra periculum esse, & Bauarus, oblato cœnobio in suis terris, multum vt eō statim auocaretur, instabat. Sed Canisius minimè ratus tempestati cedendum, non modò sperabat Patres, fratresq; invictos fore pro Deo, & Ecclesia milites: atque ad sanguinem usque, si res posceret, restituros, verū etiam auido martyrij animo ad periculi societatem rapiebatur: Vicarioq; Lainio, si ille probaret, denuntiauit in medium flammarum continuo cōiecturum se. Quamuis vnum se omnium maxime flagrare odio nosset, accursurum in nomine Domini contra Goliath, & confessurum coram hominibus suam, & Ecclesiæ fidem, atq; doctrinam pro modulo suo. Scire enim cui crediderit. Has ob res, & alia ab Turcis discrimina Norimbergæ Ferdinandum Regem mœstissimum, & consiliis, auxiliisque destitutum reperit: qui in

*Excelsitas a-  
nimi, & Mar-  
tyrij cupi-  
ditas.*

*Ferdinandum  
Regē qui mox  
lectus Impe-  
rator, con-  
solatur.*

T cius